



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Concordia. Pia Et Vnanimi Consensv repetita Confessio  
fidei & doctrinæ Electorvm, Principvm Et Ordinvm Imperii,  
atq[ue] eorundem Theologorum, qui Augustanam  
Confessionem amplectuntur**

**Lipsiæ, 1606**

De Invocatione Sanctorvm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35443**

etiam propter opera nostra dari contendebant. Ceterum supra satis ostendimus, quod sentiamus, bona opera necessario sequi debere fidem. Non enim abolemus legem, inquit Paulus, sed stabilimus, quia cum fide accepimus Spiritum sanctum, necessario sequitur legis imperio, qua subinde crescit dilectio, patientia, castitas & alij fructus Spiritus.

## DE INVOCATIONE SANCTORVM.

**A**RTICVLVM XXI. simpliciter damnant, quod inuocationem sanctorum non requirimus. Nec vlllo in loco prolixius rethoricantur. Neq; tamē aliud quicquam efficiunt, quam sanctos honorandos esse. Item sanctos, qui viuunt, orare pro alijs, quasi verò propterea necessaria sit inuocatio mortuorum sanctorum. Allegant Cyprianum, quod viuum Cornelium rogauerit, vt discedens pro fratribus oret. Hoc exemplo probant mortuorum inuocationē. Citant & Hieronymum contra Vigilantium: In hac arena, inquit, ante mille & centum annos vicit Hieronymus Vigilantiū. Sic triumphant aduersarij, quasi iam sit debellatum. Nec vident isti asini apud Hieronymum contra Vigilantium, nullam extare syllabam de inuocatione. Loquitur de honoribus sanctorū, non de inuocatione. Neq; reliqui veteres Scriptorum ante Gregorium, fecerunt mentionem inuocationis. Certē hęc inuocatio cum his opinionibus, quas nunc docent aduersarij de applicatione meritorum, non habet testimonia veterum Scriptorum.

Confessio nostra probat honores sanctorum. Nam hic triplex honos probandus est. Primus est gratiarum actio. Debemus enim Deo gratias agere, quod ostenderit exempla misericordię, quod significauerit,

se vel

se veile saluare homine, quod dederit doctores, au-  
lia dona Ecclesie. Et hæc dona, vt sunt maxima, an-  
ficanda sunt, & laudandi ipsi sancti, qui his donis fa-  
liter vsi sunt, sicut Christus laudat fideles negocia-  
res. Secundus cultus est, confimatio fidei nostræ, cui  
videmus Petro condonari negatione, erigimur & no-  
vt magis credamus, quod verè gratia exuberet sup  
peccatum. Tertius honos est imitatio, primùm fidei  
deinde cæterarum virtutù, quas imitari pro sua qui  
uocatione debet. Hos veros honores non requirit  
aduersarij. Tantùm de inuocatione, quæ etiam nō  
haberet periculi, tamen non est necessaria, rixantur.

Præterea & hoc largimur, quod Angeli orēt pro  
bis. Extat enim testimonium Zachariæ i. vbi Angelus  
orat: Domine exercituum vsq; quòd tu non miserebe-  
ris Ierusalem, &c. De Sanctis etsi concedimus, quòd  
cut viui orant pro Ecclesia vniuersa in genere, ita  
cælis orant pro Ecclesia in genere, tamen si testimo-  
nullum de mortuis orantibus extat in Scripturis, præ-  
ter illud somnium sumuntur ex libro Macchabæorum  
posteriore.

Porrò vt maximè pro Ecclesia orant Sancti, tamen  
non sequitur, quòd sint inuocandi. Quamquam con-  
fio nostra hoc tantùm affirmat, quòd Scriptura ne-  
doceat Sanctorum inuocationem, seu petere à sanctis  
auxilium. Cùm autem neq; præceptum, neq; promi-  
sio, neq; exemplum ex Scripturis de inuocandis San-  
ctis afferri possit, Sequitur conscientiam nihil pos-  
certi de illa inuocatione habere. Et cùm oratio debe-  
ex fide fieri, quomodo scimus, quòd Deus approbet  
lam inuocationem? Vnde scimus sine testimonio Scri-  
pturæ, quòd sancti intelligant singulorù preces? Qu-  
dam planè tribuunt diuinitatē sanctis, videlicet, quòd  
tacitas cogitationes mentium in nobis cernat. Dispa-  
tant de matutina & vespertina cognitione, fortassis  
qui

quia dubitant, Vtrum manè, an vespèri audiant. Hæc comminiscuntur, non vt sanctos honore afficiant, sed vt quæstuosos cultus defendant. Nihil afferri potest ab aduersarijs contra hanc rationem, quòd cum inuocatio non habeat testimonium ex verbo Dei, non possit affirmari, quòd sancti intelligant inuocationem nostram, aut, vt maximè intelligant, quòd Deus eam approbet. Quare aduersarij non debebant nos ad rem incertam cogere, quia oratio sine fide non est oratio. Nam quòd allegant Ecclesiæ exemplum, constat nouum hunc in Ecclesia morem esse, Nam veteres orationes etsi mentionem sanctorum faciunt, non tamen inuocant Sanctos. Quanquam etiam illa noua inuocatio in Ecclesia, dissimilis est inuocationi singulorum.

Deinde aduersarij non solùm inuocationem in cultu sanctorum requirunt, sed etiam applicant merita sanctorum pro alijs, & faciunt ex sanctis non solùm deprecatores, sed etiam propiciatores. Id nullo modo ferendum est. Nã hic prorsus transfertur in sanctos proprius honor Christi. Faciunt enim eos mediatores, & propiciatores, & quanquam distinguunt de mediatoribus intercessionis & mediatoribus redemptionis, tamen planè faciunt ex sanctis mediatores redemptionis. Atq; etiã illud dicunt sine testimonio scripturæ, quòd sint mediatores intercessionis, quòd vt verecundissimè dicatur, tamen obscurat officium Christi, & fiduciam misericordiæ debitam Christo, transfert in sanctos. Fingnat enim homines, Christum duriores esse, & sanctos placabiliores, & magis confidunt misericordia sanctorum, quàm misericordia Christi, & fugientes Christum, quærunt sanctos. Ita faciunt ex eis reipsa mediatores redemptionis.

Itaq; ostendemus, quòd verè faciant ex sanctis non tantùm deprecatores, sed propiciatores, hoc est, mediatores redemptionis. Nondum recitamus hîc vulgi

abusus. De doctorum opinionibus adhuc loquimur. Reliqua etiam imperiti iudicare possunt. In propitiore hæc duo concurrunt. Primum oportet extare verbum Dei, ex quo certò sciamus, quòd Deus velit misereri & exaudire inuocantes per hunc propitiorem. Talis extat de Christo promissio: Quicquid petierit Patrem in nomine meo, dabit vobis. De sanctis non extat talis promissio. Quare conscientie non possunt certò statuere, quòd per sanctorum inuocationem exaudiamur. Itaq; inuocatio illa non fit ex fide. Deim mandatum etiam habemus, vt inuocemus Christum iuxta illud: Venite ad me, qui laboratis, &c. quòd certè nobis quoq; dictum est. Et Esaias ait 11. In die illa stabit radix Iessæ, in signum populorum, Ipsum genus deprecabuntur. Et Plal. 43. Vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis. Et Psal. 71. Et adorabunt eum omnes reges terræ. Et paulò post, orabunt coram eo iugiter. Et Iohan. 5. inquit Christus: Vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Et Paulus Thessal. 2. orans inquit: Ipse autem Dominus noster Iesus Christus & Deus, & Pater noster exhortetur corda vestra, & confirmet vos, &c. At de sanctorum inuocatione quòd possunt aduersarij præceptum, quòd exemplum ex Scripturis asserere? Alterum est in propitiore, quòd merita ipsius proposita sunt, vt quòd pro alijs satisfacerent, quæ alijs donentur imputantur diuina, vt per ea, tanquam proprijs meritis iusti reputentur, vt si quis amicus pro amico soluit æs alieni debitor alieno merito tanquam proprio liberatur. I Christi merita nobis donantur, vt iusti reputemur iudicia meritorum Christi, cum in eum credimus, tanquam propria merita haberemus.

Et ex utroque, nempe ex promissione, & donatione meritorum oritur fiducia misericordie. Talis fiducia promissionis diuinæ, Item meritorum Christi debet

atten

afferri ad orandum. Verè enim statuere debemus, & quòd propter Christum exaudiamur, & quòd ipſus meritis habeamus placatum patrem. Hic aduerſarij primùm iubent inuocare ſanctos, cum neq; promiſſionem Dei, neq; mandatum, neq; exemplum Scripturæ habeant. Et tamen faciunt, vt maior fiducia miſericordiz ſanctorum concipiatur, quàm Chriſti, cum Chriſtus ad ſe venire iuſſerit, non ad ſanctos. Secundò, applicant merita ſanctorum alijs, ſicut merita Chriſti, Iubent confidere meritis ſanctorum, quaſi reputemur iuſti propter merita ſanctorum, ſicut iuſti reputamur meritis Chriſti. Nihil hinc fingimus. In indulgentijs dicunt ſe applicare merita ſanctorum, Et Gabriel interpres Canonis Miſſæ confidenter pronunziat, nos ordine inſtituto à Deo, debere ad auxilia ſanctorum confugere, vt ſaluemur eorum meritis & votis. Hæc ſunt verba Gabrieliſ, Et tamen paſſim in libris & concionibus aduerſariorum leguntur abſurdiora, Quid eſt facere propiciatores, ſi hoc non eſt? Prorſus æquantur Chriſto, ſi confidere debemus, quòd meritis eorum ſaluemur. Vbi autem inſtitutus eſt ille ordo à Deo, quem dicit iſte, quòd debeamus ad auxilia ſanctorum confugere? proferat exemplū ex Scripturis, aut præceptū. Fortaſſis ex aulis Regum ſumunt hunc ordinem, vbi amicis interceſſoribus vtendum eſt. At ſi Rex conſtituerit certum interceſſorem, non volet ad ſe cauſas per alios deferri. Ita Cum Chriſtus ſit conſtitutus interceſſor & Pontifex, cur quærimus alios? Paſſim uſurpatur hæc forma abſolutionis: Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti, merita beatiffimæ virginis Mariæ, & omniū ſanctorū ſint tibi in remiſſionē peccatorū. Hic pronunziatur abſolutio, quòd non ſolum meritis Chriſti, ſed meritis aliorū ſanctorū reconciliemur & iuſti reputemur. Quidam è nobis viderunt morientem doctorem Theologiæ, ad quem conſolandum adhibitus erat

Monachus quispiam Theologus. Is morienti nihil lo-  
 calcabat, nisi hanc precatorem, Mater gratiae, nos a  
 hoste protege, in hora mortis suscipe. Ut largiamur  
 quòd beata Maria oret pro Ecclesia, num ipsa suscipiat  
 animas in morte, num vincit mortem, num viuificat.  
 Quid agit Christus, si hæc facit beata Maria? quæ  
 etsi est dignissima amplissimis honoribus, tamen non  
 vult se æquari Christo, sed potius exempla sua nos in-  
 tueri & amplecti vult. At res loquitur ipsa, quòd publi-  
 ca persuasione beata virgo prorsus in locum Christi  
 successerit. Hanc inuocauerunt homines, huius mise-  
 ricordia confisi sunt, per hanc voluerunt placare Chri-  
 stum, quasi is non esset propiciator, sed tantum hor-  
 rendus Iudex, & ultor. Nos autem sentimus, quòd nos  
 sit confidendum, quòd merita sanctorum nobis ap-  
 plicentur, quòd propter illa Deus nobis reconcilietur,  
 aut reputet nos iustos, aut saluet nos. Tantum enim  
 Christi meritis consequimur remissionem peccato-  
 rum, cum in eum credimus. De alijs sanctis dicitur  
 est: Vnusquisque recipiet mercedem secundum suum  
 laborem, id est, ipsi inter se donare sua merita alijs  
 non possunt, sicut Monachi vendunt suorum ordinum  
 merita. Et Hilarius ait, de fatuis virginibus: Et qui  
 prodire obuiam fatuæ extinctis lampadibus non possunt,  
 deprecantur eas, quæ prudentes erant, ut oleum  
 mutuent, quibus responderunt, non posse se dare, quia  
 non sit fortè, quod omnibus satis sit, alienis scilicet o-  
 peribus ac meritis neminem adiuuandum, quia vnicuique  
 lampadi suæ emere oleum necesse sit. Cum igitur ad  
 uersarij doceant fiduciam collocare in inuocatione  
 sanctorum, cum neq; verbū Dei, neq; exemplum Scri-  
 pturæ habeant, cum applicent merita sanctorum pro  
 alijs, non secus ac merita Christi, & proprium Christi  
 honorem in sanctos transferant: neq; opiniones eorum  
 de cultu sanctorum, neq; consuetudinem inuocationis

reci-

recipere possumus. Scimus enim, fiduciam in Christi intercessionem collocandam esse, quia hæc sola habet promissionem Dei. Scimus, solius Christi merita propiciationem pro nobis esse. Propter Christi merita reputamur iusti, cum credimus in eum, sicut textus ait: Omnes, qui confidunt in eum, non confundentur. Nec est confidendum, quod iusti reputemur meritis beatæ virginis, aut aliorum sanctorum.

Hæret & hic error apud doctos, quod singulis sanctis certæ præcurationes commissæ sint, ut Anna diuitias largiatur, Sebastianus arceat pestilentiam, Valentinus medeatur morbo comitiali, Georgius tueatur equites. Hæc persuasiones planè sunt ortæ ex ethnicis exemplis. Sic enim apud Romanos putabatur Iuno dirare, Febris arcere febrem, Castor & Pollux defendere equites, &c. Et fingamus moderatissimè tradi inuocationem sanctorum, tamen cum exemplum sit periculosissimum, quorsum opus est eam defendere, cum nullum habeat mandatum aut testimonium ex verbo Dei? Imò nec veterum Scriptorum testimonium habet. Primum quia, ut supra dixi, cum alij mediatores præter Christum quærantur, collocatur fiducia in alios, obruitur tota notitia Christi, Idèq; res ostendit. Videtur initidè mentio sanctorum, qualis est in veteribus orationibus, tolerabili consilio recepta esse. Postea secuta est inuocatio, inuocationem prodigiosi, & plusquam ethnici abusus secuti sunt. Ab inuocatione ad imagines ventū est, hæc quoq; colebantur, & putabatur eis inesse quædam vis, sicut magi vim inesse fingunt imaginibus signorum cœlestium certo tempore sculptis. Vidimus in quodâ monasterio simulachrū beatæ virginis, quod, quasi *αὐτόματον*, arte mouebatur, ut videretur aut aduersari petentes, aut annuere. Et tamen omnium statuarum atq; picturarum portenta superant fabulosæ historiæ de sanctis, quæ magna au-



toritate publicè tradebantur. Barbara petit inter tormenta præmium, ne quis inuocans ipsam moriatur sine eucharistia. Alius totum Psalterium, stans pede in uno, quotidie recitauit. Christophorum pinxit aliqui vir prudens, vt significaret per allegoriam, magnum oportere robur animi esse in his, qui ferrent Christum hoc est, qui docerent Euangeliũ, aut confiteretur, qui necesse sit subire maxima pericula. Deinde stolidi monachi apud populum docuerunt inuocare Christophorum, quasi talis polyphemus aliquando extitisset. Cumq; sancti maximas res gesserint, vel reipublice utiles, vel continentes priuata exempla, quarum commemoratio, tum ad fidem confirmandam, tum ad imitatione in rebus gerendis multum conduceret, has nemo ex veris historijs conquisiuit. At verò prodest audire, quomodo sancti viri administrauerint respublicas, quos casus, quæ pericula subierint, quomodo sancti viri regibus auxilio fuerint in magnis periculis, quomodo docuerint Euangelium, quas habuerint cum hereticis dimicationes: profunt & exempla misericordie, vt cum videmus, Petro condonatum esse negationem cum videmus Cypriano condonatum esse, quod inegus fuisset, cum videmus Augustinum in morbo expectum vim fidei, cõstanter affirmare, quod verè Deus exaudiat preces credentium. Huiusmodi exempla, que vel fidem vel timorem, vel administrationem reipublice continent, proderat recitari. Sed histriones quidam nulla neq; fidei, neq; rerum publicarũ regendarum scientia præditi, confinxerunt fabulas imitatione Poëmatum, in quibus tantum insunt superstitiosa exempla, de certis precibus, certis ieiunijs, & addita sunt quædam ad quæstum facientia. Cuiusmodi sunt miracula de rosarijs, & similibus ceremonijs conficta. Neque opus est hic recitare exempla. Extant enim legendæ, vt vocant, & specula exemplorũ, & Rosaria, in quibus

bus pleraq; sunt non dissimilia veris narrationibus Luciani. His prodigiosis & impijs fabulis applaudunt Episcopi, Theologi, Monachi, quia faciunt *πρὸς τὰ ἀλφειτα*, Nos non ferunt, qui, ut Christi honos & officium magis conspici possit, non requirimus inuocationem sanctorum, & abusus in cultu sanctorum taxamus. Cumq; omnes boni viri ubiq; desiderant in his abusus corrigendis vel Episcoporum autoritatem, vel diligentiam concionantium, tamen aduersarij nostri in confutatione, omnino dissimulant etiam manifesta vitia, quasi recepta confutatione, velint nos cogere, ut etiam notissimos abusus approbemus. Ita insidiosè scripta est confutatio non tantum in hoc loco, sed ferè ubiq;. Nullus est locus, in quo à dogmatibus suis discernant manifestos abusus, Et tamen apud ipsos si qui sunt saniores, fatentur, multas falsas persuasiones hærere in doctrina Scholasticorum & Canonistarum, multos præterea abusus in tanta inscitia & negligentia pastorum irrepsisse in Ecclesiam. Neq; enim primus fuit Lutherus, qui de publicis abusus quereretur. Multi docti & præstantes viri longè ante hæc tempora deplorauerunt abusus Missæ, fiduciam obseruationum Monasticarum, quæstuosos cultus sanctorum, confusionem doctrinæ de pœnitentiâ, quam vel maximè oportebat perspicuam & explicatam extare in Ecclesia. Ipsi audiuius excellentes Theologos desiderare modum in Scholastica doctrina, quæ multò plus habet rixarum philosophicarum, quàm pietatis. Et tamen in his veteres ferè propiores sunt scripturæ, quàm recentiores. Ita magis magisque degenerauit istorum Theologia. Nec alia causa fuit multis bonis viris, qui initio amare Lutherum cœperunt, quàm quòd videbant, eum explicare animos hominum ex illis labyrinthis confusissimarum & infinitarum disputationum, quæ sunt apud Scholasticos Theologos & Canonistas, & res utiles ad pietatem docere.

Quare non fecerunt candidè aduersarij, quòd euellent nos assentiri confutationi, dissimulauerunt usus. Ac si uellent Ecclesiæ consultum, maximè in loco, in hac occasione, debebant hortari optimè Imperatorem, ut de corrigendis abusibus consilium caperet, quem quidem non obscure animaduertimus cupidissimum esse benè constituendæ, & sanandæ Ecclesiæ. Sed aduersarij non hoc agunt, ut honestissimam & sanctissimam uoluntatem Imperatoris adiuuent, sed ut nos quoquo modo opprimant. De statu Ecclesiæ multa signa ostendunt, eos parum sollicitos esse, non dant operam, ut extet apud populum certa quædam summa dogmatum Ecclesiasticorum. Manifestos abusus noua & inusitata crudelitate defendunt. Nullos patiuntur in Ecclesijs idoneos doctores. Hæc quòd spectent, boni uiri facillè iudicare possunt. Sed hac uia neque suo regno, neque Ecclesiæ benè consulunt. Nam inter electis bonis doctoribus, oppressa sana doctrina, postea existent fanatici spiritus, quos non poterunt repellere aduersarij, qui & Ecclesiam impijs dogmatibus perturbabunt, & totam Ecclesiasticam politiam euertere quam nos maximè cupimus conseruare. Quare te optime Imperator Carole, propter gloriam Christianam quam nihil dubitamus te cupere ornare atque augere oramus, ne uolentis consilijs aduersariorum nostrorum assentiaris, sed ut quæras alias honestas uias concordia ita constituendæ, ne pax conscientiarum grauetur, neue sæuitia aliqua in homines innocentes, sicut hæcenus fieri uidimus, exerceatur, neue sana doctrina in Ecclesia opprimatur. Hoc officium Deo maximè omnino debes, sanam doctrinam conseruare & propagare ad posteros, & defendere recta doceres. Id enim postulat Deus cum Reges ornat nomine suo, & Deos appellat, inquit: Ego dixi, Dij estis, ut res diuinas, hoc est, Euangelium Christi in terris conseruari & propagari curent, & tamquam uicarij Dei uitam & salutem innocentium defendat.